



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 7. Huic confusioni ipsi mundi amatores causam præbent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

§. VII.

*Huic confusioni ipsi mundi amatores causam
præbent.*

ET verò re bene consideratâ digni sunt ir-
risione æternâ quotquot eò insanissimæ
impietatis progrediuntur, ut cum diffiden-
tia Divinæ potentia ipsi ad succurrendum
non modo semper paratissimæ; sed multis
etiam certissimisque titulis oppignoratæ, ut
sic loquar, non verentur mendicare a creatu-
ris nescio quam vanam fragilemque opem.
Quid est hoc aliud quam velle anchoram na-
vigii figere in aere aut flatu ventorum, cum
nullo negotio jaci posset in continentem, aut
firmam rupem, atque omninò proximam?
Idem est ac si quis armaturus exercitum, ca-
taphractum, iuncos pro lanceis & festucas
traderet pro gladiis, aut in cineres daturus
montem Olympum scintilla stuppæ accede-
ret. Quis non rideret tam insanum & vanum
conatum? Hoc ipsum indicare videtur pro-
pheta, cum ait: *Erit fortitudo vestra quasi fa-
villa stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla &
succendetur utrumque simul.* Isai. 1. Quam
multis hoc accidit, qui diu noctuque volvunt
animo, qua ratione possint augere divitias, fi-
nes proferre imperii sui, reportare victoriam
ali-

aliquam, dignitatem speratam obtinere
 posteaquam omnem adhibuerunt conatibus
 dies multos adulationibus, noctem vigiliis
 consumpserunt, oleum & operam sepe
 disse experiuntur. De huiusmodi loquitur
 Propheta. *Concipietis ardorem & parietis
 pulam.* Isai. 31. Tales enim sunt vires, talia sunt
 auxilia quæ præstant creaturæ; imò nihil
 potius dicendum est cum eodem propheta
 59. *Confidunt in nihilo,* inquit, hoc est, fiducia
 suam ponunt in rebus fluxis & perituris. Quo
 inde sequitur? *Et loquuntur vanitates, consumpserunt
 laborem,* consumpserunt vitam & vires,
 res, corpus, & animam, nulli industria, nulli
 labori pepercerunt; quo fine? *Pepererunt iniquitatem,
 ova aspidum ruperunt, & tela araneæ
 texuerunt* Laborarunt sine ullo fructu
tela eorum non erunt in vestimentum, neque
*operientur operibus suis; opera eorum, opera
 stultitia & opus iniquitatis in manibus eorum,
 cogitationes eorum cogitationes inutiles: vanitas
 & contritio in vis eorum.* Hic exitus eorum
 nempe infelicissimus, superatà charybdi
 incidunt in scyllam, ex uno malo in aliud, donec
 nec ruant in interitum sempiternum. Quis se-
 nus non iudicet huiusmodi mortales omnia
 se fannis & ludibriis scientes volentesque
 exponere. O rex gloriæ Domine virtutum

I. 4. 11

ne permitte obsecro ut incidamus in eiusmodi opprobria & confusionem! Ecce nec cælum nos retinet nec terra; renuntiamus sceptris & infulis, hominibus & Angelis, ut in te solo spem nostram colloceamus. Non parentes, non amici, non filii, non fratres, non sorores poterunt imminuere fiduciam, quam habemus in te! Pupillus & Orphanus sum ego super terram, inquit S. Bernardus ser. 15. in ps. 90. *Dominus susceptor meus & refugium meum, Deus meus sperabo in eum: nec convertar aliud, de manu tuâ accipiam escam meam fidens verbo tuo, quo promisisti quod enutries me. Si bona recipiam, tu donasti: si mala, tu liberabis me. Si consistant adversum me castra, & circumdent me inimici mei, si caro me teneat, si fremat diabolus; fortitudo mea & refugium meum tu es, quia tu solus idem permanes plenus sapientiâ, plenus potentia, bonitate, & misericordia erga eos, qui invocant nomen tuum: in te Domine speravi, non confundar in æternum.*

* * *

CAPUT